



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Pax, Bellum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

*Virtus post nummos : hæc Janus summus ab imo
Perdocet : hæc recinunt juvenes dilata, senesque,
Lævo suspensi locules tabulamq; lacerto.*

Hujusmodi generis ædificia plurima Romæ erant : nunc unum minus dirutum in velabro perduravit juxta ædem, quæ D. Georgio dedicata est.

PAX BELLUM. CAP. XXII.

*Hujus rei
causam tra-
dit Macro-
lib. i. c. 9.
Dira, &c.
clauduntur
belli porta.
Et. lib. r.
Templa in
numis ha-
bita.*

Quod vero Jani templum in numis habetur, quadrata & ipsum specie, sed clathris, repagulis, & foribus præmunitum, ipsi tantum Deo dedicabatur. Clausum hoc, pacem indicare: ad apertum, belli tempus, non tam ex Virgilio carmine cantatissimo, quam etiam ex numis passim in conspectu, est. Sed illud præcipuum numisma tum opere tum etiam inscriptione spectabile, in quo legitur, PACE P. R. TERRA MARIQUE PARTA JANUM CLUSIT. Fuit vero is, ut ex altera numi parte habetur, IMP. NERO CLAUD. CÆSAR AUG. GERM. TR. P. P. P.

PROVIDENTIA. CAP. XXIII.

Alia etiam atque alia templorum exempla multifariam in numis habentur, quæ prosequi ad fastidium potius quam ad delectationem inclinaret. Illud dicam, in numo cujus inscriptio, DIVUS AUGUSTUS PATER, ab altera parte legi PROVIDENT. Idem templum est in Imperatoris Constantii numo, cujus inscriptio est, PROVIDENTIA AUG.

SALUS. JUNO. DIVVS. CAP. XXIV.

In Domitiani numis templum est SALUTI AUGUSTI inscriptum. In Volusiani, Dea in delubro sedens cum inscriptione, JUNONI MARTIALI, de quibus dicere, hic nullum est operæ pretium. Neque vero veteribus tantum Dis, sed & iis, quos apotheosi consecrabant, templum etiam dicere mos erat: ut videre est in Antonini numo, in quo templum est cum inscriptione, DIVO PIO.



SUBDIALES QUIBUS. CAP. XXV.

Tota vero ædium sacrarum forma antiquitus pro conditione numis ædificari solita: quare et ipsa statim ædis facie numinis qualitas intelligebatur. Jovi siquidem, fulguri, celo, Soli, & Lunæ subdiales, ut Vitruvius monet, ædes, quæ Græce ὑπαυθες dicuntur, ædificabantur, quorum numina, potestates, vimque ac effectus omnes sub dio speciebus.

*Orientem
Solem exci-
piendo, ut
liber esset
prospexitus.
Plut. in
Numa.
M. Vitru-
vius l. 4. c. 2
& in cun-
ctis Gul.
P. Silander.
De his tri-
bus colum-
nis Plin. lib.
36. c. 23. &
Vitruvius
l. 4. c. 7.*

DORICÆ QUIBUS. CAP. XXVI.

Inervæ autem, Marti & Herculi numinibus, ut idem ait, virtute ipsa memorandis, ædes opere Dorico erigebantur: nullis quippe deliciis, neque lascivioribus florum ac foliorum ornamentis, neque denticulatis coronis, ac guttulis metopis, sed rudi ac hispido potius aspectu: qualis dignitas in viris expetitur, à peregrino omni cultu aliena.

CORINTHIACÆ QUIBUS. CAP. XXVII.

At Veneri, Floræ, Proserpinæ, & fontanilibus Nymphis, numinibus quippe delicatioribus, ob molliem atque nequitiam Corinthiacæ constituebantur: genus quidem ædificii tum gratilitate operis, tum florum ac foliorum lascivia, volutarumque multiplici perplexitate, triglyphorum, ac aliorum ornamentorum varietate visu admodum delectabile.

JONICÆ QUIBUS. CAP. XXVIII.

Junoni vero, Dianæ, ac Libero Patri ceterisque ejusdem ordinis numinibus Ionicum adhibebant opus, medio quodam inter Doricum & Corinthium temperamento: quippe quod neque horrorem